



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Dispvatio CII. De Sacramento Matrimonii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO CENTESIMA SECUNDA.

## De Sacramento Matrimonii.



*V*N M jam nobis ex septem Ecclesiæ Sacramentis explicandum restat Matrimonium. Hic verò tractatus, quamvis ultimo loco tradi à Theologis soleat, non paucas tamen nec vulgares in se difficultates complectitur, ut ex eruditissimo Patris Thomæ Sanchez hac de re conscripto opere constat, doctissimisq; aliorum lucubrationibus, qui de hoc Sacramento accuratè & copiosè scripserunt illudq; summâ curâ ac diligentia illustrarunt. Mihi animus non est fusam de eo disputationem instituere, sed illa tantum paucis attexere, quæis deserviant, qui sanctum excipiendi confessiones animasq; tractandi munus suscipiunt, à quibus brevem hujuscemodi tractatum expeti intelligo. Nonnulla tamen de sponsalibus præmittam.

### SECTIO PRIMA.

#### De naturâ sponsalium.

I.  
Eorum de  
finitio.



**Q**UÆRES primò: Quid sint & quas condiciones requirant sponsalia? Sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonii: ita Sanchez l. 1. de Matrim. d. 18. n. 14. Valentia tom. 4. d. 10. p. 5. Filiucius tract. 10. cap. 7. num. 235. Layman tract. 10. lib. 5. c. 7. num. 10. Bonacina de Matrim. q. 1. p. 1. n. 1. Coninck de Matrim. disp. 21. dub. 2. & alii communiter.

Sunt pro-  
missio mu-  
tua.

Hæc autem promissio debet in primis esse deliberata, ac exterius verbo aut signo aliquo ad hoc instituto manifestata, cum fiat homini, & licet si quis femine matrimonium de futuro promittat, & illa acceptet, obligetur illi ex fidelitate, non tamen sunt sponsalia nisi illa vicissim recipiant, sicque resiliens non potest cogi poenis contra resiliens à sponsalibus in jure statutis.

Virum sola  
taciturnitas  
sufficiat.

Taciturnitas ergo non sufficit ad contrahenda sponsalia, nisi alicubi vel ex consuetudine, vel lege taciturnitas accipi pro expressione consensus soleat, ut fit quando parentes pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, ipsis præsentibus & non contradicentibus: quod etiam Navarrus, Sotus, Coninck, & alii affirmant de filiis absentibus, modò ubi hoc intellexerint con-

sensum præbeant, & non contradicant. Regula ergo juris in sexto, *Qui tacet consentire videtur*, intelligitur de re quando est in illius favorem, non in præjudicium, ut fit in obligatione ad tradendum corpus suum in potestatem alterius; in his enim valet alia regula juris in eodem sexto, *Qui tacet neque consentire neque dissentire videtur.*

Quæres secundò: Qualis sit obligatio Sponsalium? Dico primò, ex veris sponsalibus nascitur per se loquendo obligatio ea implendi: ita Sanchez l. 1. d. 27. n. 2. Coninck d. 22. d. 1. Bonacina q. 1. p. 2. n. 1. Layman t. 10. c. 1. n. 3. Filiucius t. 10. c. 7. n. 236. & alii passim. Ratio est, quia sponsalia sunt verus contractus, qui in re gravi semper obligat sub mortali. Unde quamdiu alter in fide persistit, alter resiliere nequit, idque licet magna sit differentia inter eos in nobilitate, divitiis, &c. si id promittens nosset prius quam sponsalia iniret.

Dixi per se loquendo; si enim ex matrimonio illo secuturum sit grave malum aut scandalum, graves rixæ parentum &c. non tenetur implere. *Exceptio hac in re.*

Dico secundò, ficta sponsalia ex se non obligant, cum desit intentio: ita Auctores citati: si tamen sit periculum scandali, aut grave malum intulerit femine, quod alio modo quam per matrimonium aboleri nequit, tenetur eam ducere, ut si copulam extorserit à virgine aut foeminâ bonæ famæ, nisi adeo occultè sit factum, ut nullum sit infamie periculum in foeminâ; tunc enim

II.  
Sponsalia ex  
his oritur  
obligatio.

Exceptio  
hac in re.

Virum obli-  
gant ficta  
sponsalia.

SECTIO SECUNDA.

De dissolutione sponsalium.

enim sufficit injuriam compensare arbitrio prudentis viri. Quaedam tamen damna possunt per pecuniam compensari, ut si mulier expensas fecerit, aliud matrimonium commodum ex hac occasione reliquerit, &c.

*Aliud de notabiliter imparibus.*  
 Quod si vir notabiliter impar nobilitate aut divitiis sub ficta promissione Matrimonii copulam extorserit à femina hujus disparitatis conscia, non tenetur eam ducere, imo nec dotare, nam voluntarie præsumitur decepta, cum facile advertere potuerit talem virum non habuisse animum eam ducendi. Imo Sanchez d. 10. n. 19. Lessius l. 2. c. 10. d. 3. n. 25. Bonacina n. 7. & alii affirmant virum in eo casu ad nullam restitutionem teneri.

**III.**  
*Censuris cogi quis potest, ut stet sponsalibus.*  
 Quæres tertio: An cogi quis possit pœnis standum sponsalibus? Respondetur affirmativè: imo Judex Ecclesiasticus non solum potest, sed tenetur volentem resiliere, præmissâ admonitione censuris cogere, maximè si sponsalia jurata sint, aut sponsa sub specie Matrimonii corrupta, dummodo ordinarius hac ratione spontaneum nuptiarum consensum impetraturum se speret, sin minus præstat censuris supersedere, & minus malum permittere, violationem scilicet promissionis, quàm ad majus malum, Matrimonium scilicet coactum inducere: ita Sanchez l. 1. d. 29. n. 4. & d. 22. n. 2. Layman c. 1. num. 4. Filiucius t. 10. c. 7. n. 262. Ratio est, quia præterquam quòd hoc rationi consonum sit, apertè etiam in jure præceptum est.

**IV.**  
*Ætas sponsalium.*  
*Ætas matrimonii.*  
 Quæres quarto: Quæ ætas requiratur ad sponsalia, & Matrimonium? Respondetur, ad sponsalia requiritur septennium tam in mare quàm femina, ad Matrimonium verò jure Ecclesiastico ætas quatuordecim annorum in mare, & 12. in femina: quod tempus debet esse completum, vel physicè, ut ait Sanchez, Coninck, Reginaldus, & alii, ita ut ultimus saltem dies temporis tam ad sponsalia, quàm matrimonium requisiti sit inchoatus, vel moraliter, ita ut non plus quàm duo vel tres dies desint juxta Bonacina, vel quàm decem dies secundum Ledesnam.

*Quid si malitia suppleat ætatem.*  
 Si tamen malitia suppleat ætatem possunt validè tam sponsalia, quàm matrimonium citius fieri: ad sponsalia autem malitia supplet ætatem quando in contrahentibus est ante illam ætatem perfectus rationis usus, ita ut plene intelligant quid agant: ad Matrimonium verò si ante ætatem à jure requisitam sit in contrahentibus potentia generandi & discretio sufficiens ad cognoscendam naturam conjugalis contractus: ita Sanchez l. 1. d. 16. n. 10. Coninck d. 21. d. 5. n. 52. Bonacina q. 1. p. 4. n. 1. Layman l. 5. t. 10. c. 1. n. 16. Filiucius t. 10. c. 7. n. 257. & alii communiter.

*Pœcans contrahentes matrimonium ante ætatem.*  
 Licèt autem juxta communem sententiam pœcans mortaliter impuberes contrahentes Matrimonium ante ætatem præscriptam, malitiâ supplete ætatem, non tamen est idem de sponsalibus, ubi citius advenit usus rationis, cum c. 2. de sponsalibus impuberum, solum agatur de Matrimonio, ut affirmat Sanchez l. 1. d. 17. n. 4. Filiucius n. 259. Coninck n. 54. & alii. Bonacina tamen n. 6. Navarrus c. 22. n. 31. Sylvester, Henriquez, & alii dicunt peccare mortaliter, nisi ob urgentissimam causam id faciant.

**Q**UÆRES primò: An Sponsalia dissolvi possint propter mutationem notabilem supervenientem? Respondetur affirmativè: ita Sanchez l. 1. d. 62. n. 2. Bonacina q. 1. p. 8. n. 8. Layman t. 10. c. 2. n. 18. Filiucius t. 10. c. 8. n. 288. & 296. & alii communiter. Unde ulterius, si grave aliquod vitium extiterit tempore quo contracta sunt sponsalia, sed solum apparet postea, sufficit ad solvendum sponsalia, nisi ita esset tunc animo affectus, ut etsi illud tunc nosset, nihilominus contraxisset. Ratio horum est, quia nullus obligari potest ultra intentionem, quæ non adest quando talis circumstantia vel supervenit, vel dignoscitur, quæ si antea fuisset prævisa, judicio prudentis viri non contraxisset, deinde promissio solum obligat rebus in eodem statu permanentibus.

*Particularis causa dissolvendi sponsalia.*  
 Causa itaque sufficiens ad dissolvenda sponsalia sunt morbus contagiosus aut perpetuus, deformitas magna præsertim in sponsâ, paupertas, asperitas morum, graves inimicitie inter sponsos, parentes, aut affines (quæ etiam de causâ dicunt aliqui posse Summum Pontificem dispensare in Matrimonio nondum consummato) fornicatio, maximè in sponsâ, hæresis, apostasia, & similia. Is tamen qui in hæc & hujusmodi incidit non potest resiliere, si alter velit adhuc, his non obstantibus inire Matrimonium.

**II.**  
*Ingressus religionis solvit sponsalia.*  
 Quæres secundò. An per ingressum religionis, secunda sponsalia, aut matrimonium solvantur sponsalia? Quoad primum, non per professionem tantum in religione, sed per solum ingressum solvantur sponsalia, saltem ex parte illius, qui manet in sæculo: ita Sanchez l. 1. d. 42. n. 2. Coninck d. 23. d. 3. n. 22. Bonacina q. 1. p. 5. n. 1. Layman t. 10. c. 2. n. 3. Filiucius t. 10. c. 8. n. 280. Sylvester, Sotus, Navarrus, Henriquez, & alii. Durandus tamen, Palud Rich. Armil. & alii nonnulli requirunt professionem. Ratio tamen conclusionis est, nam primò ingrediens religionem censetur renunciare sponsalibus: deinde fit magna mutatio, tum quia magnam animi inconstantiam ostendit si deinde egrediatur, tum quia est quædam nota infamie nubere illi qui habitum religiosum exiit. Dixi saltem ex parte illius qui manet in sæculo; Filiucius enim, Coninck, & alii affirmant illum, qui ingressus est religionem, si egrediatur, debere stare sponsalibus, si alter in eadem adhuc mente persistat.

*Secunda sponsalia non solvunt priora.*  
 Quoad secundum, secunda sponsalia, etiam jurata, imo & secuta copula, non solvunt priora ex utrâque parte: ita omnes. Ratio est, quia juramentum de re illicitâ nullum est, sponsa autem per nequitiam sponsi non amittit jus quod in ipsum habet.

*Matrimonium validum solvit sponsalia.*  
 Quoad tertium, dico Matrimonium validum solvere sponsalia: ita Sanchez d. 48. Lay. n. 22. Filiucius n. 271. Bonacina q. 1. p. 7. n. 1. & alii. Imo existimo solvi ab utrâque parte, ita ut etiam mortuâ uxore non teneatur cum priore sponsâ inire matrimonium, licèt Coninck, Bonacina, & alii id negent. Ratio tamen est, quia obligatio semel extincta non reviviscit, priora autem sponsalia per subsequens matrimonium solvantur, ut habetur c. Si inter de Sponsalibus c. 1. de sponsâ duorum:

duorum: & ratio ulterior est, quia obligatio fortior superveniens extinguit minus fortem ejusdem rationis, in quo est discrimen de voto simplici religionis, quod per matrimonium subsquens non extinguitur, sed solum suspenditur.

III.

*Hoc impedimentum solvit sponsalia.*

Quæres tertio: An Sponsalia dissolvantur per impedimentum dirimens, defectum ætatis, lapsum termini, aut discessum in partes remotas? Quoad primum, certum est apud omnes dissolvi, cum esse nequeat obligatio ad id quod fieri nequit, quale foret illud Matrimonium. Possset tamen aliunde, ut ratione scandali, aut gravis damni illati vel inferendi sponsæ, obligari subinde ad petendam dispensationem.

*Idem est de defectu ætatis.*

Quoad secundum, dico defectum ætatis hoc sensu dissolvere sponsalia; jus enim concedit iis qui ante pubertatem contraxerunt sponsalia, ut ubi ullus eorum ad pubertatem venerit, possit resilire, modò statim, id est intra breve tempus, puta triduum, resiliat, alioqui censetur sponsalia ratificare: ita Sanchez l. 1. d. 51. 53. 54 & 56. Coninck d. 23. d. 2. n. 8. Bonacina q. 1. p. 6. n. 1. Filiucius c. 8. n. 276.

*Sponsus terminum solvit sponsalia.*

Quoad tertium, solvuntur Sponsalia per lapsum termini, qui statutus est ad Matrimonium contrahendum, seu ad limitandam obligationem, ut aiunt, qui terminus solet in contractu sponsalium prius apponi, quàm plenè absolvatur: ita Sanchez l. 1. d. 53. Coninck d. 23. d. 6. n. 46. Bonacina q. 1. p. 6. n. 6. Filiucius c. 8. n. 293. Layman c. 2. n. 16. & alii passim, quia tunc solum intelligitur promittentes intendisse obligare se pro tali tempore, unde is, qui non fuit in morâ quo minus Matrimonium contraheretur est liber à sponsalibus. Aliud est si jam post sponsalia planè completa apponcretur certum tempus; tunc enim solum censetur adjecta conditio certi temporis ad obligationem sollicitandam, non dissolvendam.

*Quid de discessu in partes longinquas.*

Quoad quartum, Jus civile præscribit ut sponsus, qui est extra Provinciam, expectetur per tres annos, qui intra Provinciam per duos. Hoc tamen jus correctum videtur per jus canonicum, unde si sponsus sine licentiâ alterius sponsi in longinquas partes discedat, solvi possunt sponsalia, si verò eum licentiâ discedat, expectandus est quantum inter ipsos de tempore convenit. Si autem in propinquum solum se transtulerit, expectandus est, vel requirendus, ut intra certum tempus Matrimonium contrahat: ita Au-

tores citati, licet Layman ex parte discrepet.

Quæres quartò: An propriâ auctoritate possit quis dissolvere Sponsalia, vel requiratur sententia Judicis? Respondetur, licet per accidens, seu ratione vitandi scandali, quando sponsalia sunt publica, & causâ occulta requiratur nunquam sententia Judicis, seu ordinarii ad dissolvenda sponsalia, ex naturâ rei tamen non requiritur, sed contrahentes possunt per se illa dissolvere, ubi constat de causâ: ita Sanchez l. 1. d. 69. Coninck d. 23. d. 3. Bonacina q. 1. p. 10. n. 3. Filiucius t. 10. c. 8. n. 299. Layman t. 10. c. 2. n. 23. Ratio est, quia sponsalia semper cum hac conditione fiunt, nisi aliquid ex jam dictis aut similibus contingat.

IV.

*Per se laquendo est qui se dissolvit sponsalia.*

Quando ergo causâ est certa & publica, potest quis propriâ auctoritate resilire, sicut & quando tam causâ quàm sponsalia sunt occulta. Certitudo autem sufficiens ad resilendum in foro conscientie est, si unus testis id deponat sub juramento, vel etiam sine juramento, si sit vir planè fide dignus, qui dicat factum illud sibi constare.

*Qua requiratur certitudo.*

Quando verò causâ dissolutionis sponsalium est occulta, ut fornicatio occulta sponsæ, tunc privatim monenda est ut renuntiet per se sponsalibus, & ulterius, si opus sit, agendum cum parentibus, ut eam ad hoc inducant, quòd si adhuc nolit, poterit, non obstante infamiâ inde secutâ, ad tribunal deferri. Si verò sponsus postquam ejusmodi causam in sponsâ novit, adhuc eam carnaliter cognoscat, non potest à sponsalibus ejus resilire; hoc enim factò censetur remittere jus, quod ratione illius causæ habebat dissolvendi sponsalia.

*Quid si causâ sit occulta.*

Quæres quintò: An per votum solvantur sponsalia? Per votum ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros ordines, imò per votum simplex continentie, solvuntur sponsalia: ita Sanctus Thomas in 4. q. 1. a. 3. quæstiun. 2. ad 3. Henriquez l. 11. c. 14. n. 4. Bonacina q. 1. p. 5. n. 13. & 20. & alii. Sanchez tamen l. 1. d. 46. n. 9. & d. 47. n. 3. Filiucius c. 8. n. 286. Layman c. 2. n. 6. Coninck d. 23. d. 3. n. 25. & alii negant votum simplex castitatis aut sacrorum ordinum solvere sponsalia. Ratio tamen est, quia in sponsalibus semper subintelligitur hæc conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur, hac enim de causâ ingressus in religionem secundum omnes, & votum religionis dissolvit sponsalia.

V.

*Respondetur affirmative.*

